Wężyk Valent. Hier: Olympus Sarmaticus erudita sanctitate et sancta eruditione sublimis.

Dic. Cap. Cr

OLYMPUS SARMATICUS,

ERVDITA SANCTITATE,



SANCTA ERUDITIONE SUBLIMIS,

D. JOANNES CANTIUS

PROFESSOR,

Regni Poloniæ & Academiæ Cracovien:

PATRONVS,

Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR.

Redeunte Annuâ suæ Festivitatis Luce,

in Basilica S. ANNÆ,

Ad Sacra Lipsana

A

VALENTINO HIERONYMO de Osiny WĘZYK,

Tribunida Ostreszoviensi, in Classibus Novodvorscianis

Dialecticæ Auditore,

DEMONSTRATVS.

ANNO

Quo Altitudo Sapientiæ per Vterum Virgineum in imas terras se demisit, 1720. Die 20. 8bris.


CRACOVIÆ, Typis, JACOBI MATYASZKIEWICZ.

IN STEMMA
CELSISSIMÆ ILLVSTRISSIMÆ
DOMVS,



Magna Domus Patriæ procurans commoda mille
Ad celeres CAPRAS, jungere disce ROSAS.
Sic Patriæ candor, roseum tum profluet Ostrum
Sarmata quo cunctis gentibus Almus erit.

ILLVSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO D.
D. MICHAELI
IN SŁVPOW
SZEMBEK,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPO PAPHENSI,
SUFFRAGANEO & DECANO CRACOVIENSI,
ABBATI Claræ Tumbæ.



Ssvete magnis PRÆSVL, *Olympum non dedigneris, etiam Te maximum, quia sub Tuo Nomine orbi prodeuntem. Magna magnis componere pridem in usu, & quod nunc postibus Tuis accedit sublimitas citra censuram est. Novit illa Te illum esse qui dum Te & censes & monstras demissum, facis quovis titulo majorem. Imò cum virtute* CANTII *protensos exhibeat terminos, apud Te finiri exoptavit, cujus probitas cum side-*

ra transcendat, etiam Olympi existit capacissima. Non Lybicus ille collis, sed de Sarmaticis montibus unus, non asperitate horrendus, sed Sanctitate conspicuus Gentilitijs CAPELLIS *patet percurrendus. Scio Iovem in Olympo educatum, ibidemq; ubere Amaltheæ enutritum nutrici suæ* CAPELLÆ *Olympum commisisse. Olympus proinde Tuus esse hic debuit, cum non tam hæreditario domesticarum* CAPELLARUM *cursu, quàm Olympico virtutum anhelitu procedas in maxima. Harum opera jam pridem nobis Celsissimus videreris, ni Tibi eminentiùs putares infra honorem stare, & hoc altior videri. Affinis Tibi in* Celsissimo, Illustrissimo & Reverendissimo D. STANISLAO in Słupow SZEMBEK, Archiepiscopo Gnesnensi, Regni Poloniæ Primate, ac primo Principe *Fratre Tuo Summus in Ecclesia ac Patria nostra honor, non aliud cuilibet monstrat, quàm Te cujusvis prætextæ Candidatum. Suffragia Tu tamen mavis honoribus dare, sine quibus dùm quævis dignitas nutat, Te orbi colendum ac venerandum proponit* SUFFRAGANEUM. *Crede* PRÆSUL *his humeris & majora Sacrorum negotia vellent ferri, si concederes; & sublimiores Tiaræ cuperent capite Tuo eminere, modo verticem submitteres. Sed vel solus honor Te invenit contumacem, coram quo ideò Paphensem non deponis Tiaram nè Mitras majores provoces. Votum cùm sis honorum statim es eorundem doloris instrumentum. Rubent purpuræ pluries à Te frustratæ; & quo major in orbe dignitas, eo majorem coram Te induit verecundiam. Natus* è domo Celsissima *Olympo jam honorum poteras imminere, quem dùm virtute attingis, plantis terere non prætendis. Sciet attamen posteritas Te eum fuisse* PRÆSULEM *quo nemo meritis & virtutibus major, nisi minor. Non quod* MICHAEL *sis, sed quod nullibi consistere velis potiùs, quàm intra demissionis innatæ penetralia. Ut verò non omnino Tuâ ipsius modestiâ ad ima traharis, provehit Te in altum gloriæ renitentem alter Frater Tuus* Illustrissimus

Do-

Dominus IOANNES in Słupow SZEMBEK, Regni Supremus Cancellarius, *Os Regis ille, Regniq; labium, Tu illius aspiratio. Qui cùm majus Sigillum teneat Te Fratrem imprimere cordi maximè novit. Pari conatu in augem non desituri Nominis protrahit Te etiam* Illustrissimus ALEXANDER SZEMBEK, Suprem⁹ Regni Dapifer Biecensis & Radomscensis Capitaneus, *& ut in perennatura famæ sistas firmius Augustali, Dignissimorum* PRÆSVLVM Illustrissimi & Reverendissimi Dñi CHRISTOPHORI SZEMBEK, Episcopi Vladislaviensis, *atq;* Illustrissimi & Reverendissimi Domini CHRISTOPHORI SZEMBEK, Episcopi Premysliensis *pedo niteris. In cujus decoris partem accedit* Illustris ac Magnificus Dominus ANTONIVS FELICIANVS SZEMBEK, Succamerarius Cracoviensis. *Tanta Nomina & tam celsi honore Viri, quid non magnum? quid non sublime? de Te sæculis loquentur. Innexus ijs sangvine illo, uti nunc resplendes, ita eo coruscus omni avo talis tantusq; per ora hominum, per futuri temporis aures divulgaberis, qualis emeritissimo vitæ Tuæ cursu esse, & dici mereris. Siquidem roseo Domûs Tuæ minimè contentus decore, adhuc his morum coloribus imaginem vitæ Tuæ pingi fecisti, quibus illustrare Deorum simulacra cuperet Apelles. Cui si quondam formam debuit Iuno, Tibi certè incorrupto Iudici Diva Themis potiori titulo servatam adscribit venustatem. Sic enim toties Sacro Præses Areopago, semper pro parte stetisti Iustitiæ, ut si orbe exul erraret, apud Te tutissimum inveniret hospitium; uti etiam diu inter roseta Tua spatiata, ita securè processit, ut calcaneum spinâ non offenderit. Vitia solummodo puncturas noverunt, quare rubore suffusa cum alijs cessissent in dedecus, soli Tibi in triumphale iverunt ornamentum. Reliquam hic ingentium operum molem levi non superpono paginæ, nam Olympum viderer temerario ausu conscendere, si Stelligero Olympo contigua Tua facinora pararem*

rem

rem ex asse declaranda. Satis mihi esse reputo, si demisso cultu cum opella mea ad plantas Tuas profusus, debitæ gratitudinis meæ erga Celsissimam Domum *Tuam præbeam Testimonia. Inde siquidem* Æstimatissimum ac Colendissimum Patrem *sortitus* Illustrem ac Magnificum Dominum ALEXANDRVM SZEMBEK, Venatorem Lanciciensem, *& in illo Paterna legens beneficia, his Celsissimæ Domui existo devinctissimus. Accedit tandem Abbatialis* Claræ Tumbæ *honor, qui dum noviter in Te refulgens singulos in applausus evocat, etiam me ad hosce ciendos invenit paratissimum. Quare Olympum tiarato huic colli aggero, ut cum ipsa Tibi honorum substernantur cacumina etiam Clientalis animi promptitudinem in summo videas. Cernas inquam longævus tamdiu, quàm diu voto Clientum incolumis, quorum*

Illustrissimæ & Revendissimæ Dominationis Vestræ

sum Devinctissimus Cliens

VALENTINUS HIERONYMUS de Ośiny WĘZYK, Tribunides Ostreszoviensis, Dialectices Auditor.



ORATIO.



EXtra domesticum Poloniæ limen soluta dicendi non devolvatur facultas, non exotici solis Majestatem Regina perlustret animorum: si illi CANTIVS incumbit laudandus, intra Sarmatici Orbis peripheriam largam Panegyrici legat Copiam. Etiam Patria planities, ac latè distenti Sarmatiæ campi in culmina surgere non recusant, ubi in fastigio ponendus laudum qui in aprico, qui in ipso Orbis conspectu altis quondam assurrexit virtutibus. AA. Non adeo depressam Europæ partem terram nostram publicus advertat intuitus ut in sublime vocare non possit dictionem ubi in laudes Sancti sui Incolæ excurrendum. Summum dicendi genus, & in hoc camporum nostrorum plano advertitur in quo quid mediocrè, quid nam humilè fixerit CANTIVS, planè nihil præter excelsa opera & Cælo imminentia eruditæ Sanctitatis molimina. Ducere itaq; protensas laudum Schinotenes opus, non cæsim dicendum, ubi ex membrorum concursu corpus necessum struere CANTIO panegyricum. Militare pro gentis gloria pridem Sarmaticum, nunc verba verbis collidere, laudes laudibus intrudere in gratiam CANTII fiat solenne Academicum. Domestici id candoris documentum alienam virtutem celebrare, sed & propriæ Coronam nectere non fiet ambitio. Patriarcham indeq;

 eru-

eruditæ gentis Patrem laudare, filiale obsequium; Sancto Professori palmam porrigere, gratitudo; & quidquid in CANTIO non prætereundum cernitur, undiq; dicendi de illo promanat obligatio. Assurge itaq; vel cũ nativis CANTII montibus eloquentia, vel ad gratiosam IOANNIS vocem laudibus responsura. In montibus fiat vocis repercussio, sed illius quæ repetat IOANNEM millies gloriosum, quæ exclamet clamantis nomen ad encomia, imò provocet famam sparsuram per secula laudes, Nomenq; Cantianum. Sed jam pridem erudita IOANNIS Sanctitas, & Sancta Divi Professoris eruditio gloriæ hujus attigit celsitudinem. Iam conscendit sublimia ut non aliter dicatur, quàm ut suæ Patriæ excelsa poposcerit situatio. Ad Carpathios Poloniæ montes quid humile dicendum de IOANNE? in Ducatûs Osvetimensis nativo CANTII loco, quid non narrandum principale? ad Regiæ deniq; Scholæ Majestatem, quid non excelsum? inclinant nativi CANTIO montes suos vertices, quibus tollatur. Regum Filia Regumq; Mater Iagellonica Pallas Sceptra porrigit quibus emineat. Nos Divo Parenti pectora, manus, colla, humeros damus, quibus erectus nonnisi celsus videatur. Ergonè major hoc quisquam assurget IOANNE? cui Carpathi altitudo nascenti procubuit in applausum. Ergonè splendidiùs quis incurret spectatricem sui pupillam? ac IOANNES tot cinctus sideribus, quot resplendens virtutibus. Poteritnè tam proximè Cælis suam quispiam locare summittem? ac planè Cælorum Accola CANTIVS olim in Sarmaticis natus montibus, nunc Cælesti innixus axi, major titulo, celsior dicentis conatu IOANNES. Sed nitetur tamen in summum humile dicendi genus, & si desit Oratori ingeniosæ mentis celeritas, vel gradatim in apricum scansuram se promittit eloquentia. Et si hic irritus tendentis nisus videbitur ad Cantianam sublimitatem Ora-

toria

toria procumbens ſubjectio, aut taliter magnum fatebitur IOANNEM. Ad ingentia itaq; opera, ad admirandam Sanctitatem ad excelſa quæq; CANTII delapſa tenujor dicentis Svada hoc maximum dici de CANTIO opinatur, dum Olympum Sarmaticum erudita Sanctitate, & Sancta eruditione ſublimem, publico inducere attentat conſpectui.

Favebis tantùm Filiali obſequio Patriarcha Sanctiſſime, annues conatui Profeſſor Diviniſsime, promovebis votum Doctor inter Sanctiſsimos Doctiſsime, interq; Doctiſsimos Sanctiſsime, aſſurgat moles Te digna, etſi Tuam non tanget celſitudinem dictio, Te ſaltim colat, cultuq; veneretur.

Grandè eſt quod fero pondus AA. Laudes in quam Cantianas, Athlantem me non ſentio & montes ferendos attento. Si itaq; veſtro conſpectui Olympum dedero, non artubus meis, qui debiles, ſed veſtris gratijs quas firmas ſpero attribuite.

Benè eſt quòd Cantiani nominis magnitudo humili non immorata ſtationi, in tantum aſſurgit, ut demiſsiores colles tranſcendendo, ad usq; ſtelligeri Olympi verticem ſuam deducat ſumittem. Quid etenim in CANTIO videri exiguum, ſed nè cogitari humile ac demiſſum poteſt. Exceſsit cujuſq; mentis capacitatem virtutibus, prævenit animum operibus, ita ut ſemper non ſine magnifico apparatu ſubintrare aures cenſeatur. Si ſpectetùr illius natale ſolum, quid hoc altiùs? ſi percurrantur eruditæ mentis ſpecimina, quid excellentiùs? ſi tandem contermina polo veniat in ſtuporem Sanctitas, quid eminentiùs? tanquam his tribus perfecta niteretur magnitudo, ſuper Patrios colles eruditionis poſuit molem, ac ſuper hanc fecit ſtare Sanctitatem. Quantum hic debilioris conatûs negotium non uno impetu, ſed gradatim Cantianam inquirere celſitudinem. Quanta

 cu-

curarum pondera ab uno ad aliud transire, & veluti alter non pateret laudum aditus, unius positione ulteriora encomiorum perlustrare vestigia. Attamen scandet humile dicendi genus his gradibus, nitetur in summum his ascensibus, ut postquam patuerit non postrema Divi nativitas subsequatur studium, ac tandem veniat vitæ integritas. Illa inquam morum, actionumq; sanctimonia, quæ CANTIO ab exortu vitæ ad occasum per omnium annorum tractus indissolubilis Comes existens nihil non magnum, nihil non Olympo par dicere, nunc de CANTIO adhortatur. Igitur primas vestigiorum notas in Patrijs Divi Figo collibus, ut ex asperis arduisq; Carpathi Saxis Olympica CANTIO efformem fastigia, quæ surgunt in tanti applausum Tutelaris, provehunturq; eò altiùs, quo sanctitas & eruditio Cantiana comparet eminentior. Sed liceat primò eloquentiæ in primos IOANNIS inquirere annos liceat in herba messem, in flore fructum auspicari. Altum profectò est, quidquid vel tenellus IOANNES agit, vel agere meditatur. Qui concessos sibi benignioris Lucinæ beneficio montes non ingeneris mutat jactantiam nativi Ducatûs splendores non incunarum vertit illecebras. Humilem se ad Patrios colles cupit non elatum, & qvamvis propinqvus Carpathus Cælo usq; deducat verticem, ille intra demissionis hæret Cancellos. IOANNEM suum verè imitatus Tutelarem, quo cum nemo major, se ille minimum profitetur. Ita athomus in sui conspectu CANTIVS, quamvis à nobis Olympus videatur. Mox Patrem Ductorem secutus STANISLAUM insistendum famæ ducit cõgruum, non tamen illi, quæ per terras inane vehendo nomen, à Cælesti aberrat Olympo. Præterea gratiosis ANNæ Parentis se cernens effusum visceribus, nè in hominum incurreret unquam odia, etiam IOANNES dici voluit. Vbi odisse quisnam mortalium vel potuit, vel debuit CANTIVM

cir-

circa quem Orbi effingendum tot gratiæ Cæleſtes laborarunt. Illi & ſua non defuit affabilitas, ac jucunda morum, artuumq; compoſitio, quibus catenatos hominum affectus duxit, ſæpè imò ſemper in triumphum. Minores colles vidiſſes cunctos, ac ſi Olympo IOANNI acclinatos, quibus jucundum fuerat in Infantis CANTII proruere amplexus, expetere baſium, ſtringere pectora. Nam etiam velut ocultiori quadam ageret virtute collis hic Diviniſsimus, Saxeos quosvis homines ita ſemper emollire viſus, ut adhærere illi omninò tenerentur. Sic devincta communis planè propenſio IOANNI, jam illum magnum, jam ſublimem futurum ominata, quis tandem puer futurus fuerat? extra Tripodem fatidico verborum concentu præſagijt. Iam Decreti parvo honores, jam gradus teneris promiſsi pedibus, & quidquid altum erigit verticem, id totum incertæ ſpei illi venerat argumentum. Facile & triumphales Dodona frondes pullulare juſsit, dùm ad eruditorum decus frontium creſcere CANTIVS ſpargeretur. Abundè & quævis laureta neſciam marceſcere prolem, lauros inquam educari ſinunt, ubi in ſpe maxima Indoles Cantiana. Nec irritum in CANTIO commune votum, plura potiùs vidit, quàm expetijt. Ita deſideria anteire, vota præcurrere, ſpem præcedere, cum Cantianum certè Olympicum. Quippè ubi teneros exceſsit annos, ubi ſua corporis firmitas animi expetijſſet robur, IOANNEM IOANNES imitatur, imitandoq; ſequitur. Nàm quemadmodùm ille ab Idumæis collibus in eremum, ita CANTIVS à Carpatho in Sacram Cracio Apollini Sylvam ſecedere decrevit. Credo facile exultaſſe vos gratæ Superis Muſæ, ubi ad Veſtras Academi umbras novum lumen affulſit Cantianum. Sereniorem ſolitò explicuiſtis frontem, ubi vobis ad ſvave conſortium affinis Superum accurrit Gratia. Imò bicolli veſtro Parnaſſo culmen aliud adeſſe vi-

 diſtis,

diſtis, ubi montanus Iuvenis illi approximat. Hi paſſus in literariam arenam Adoleſcentis, hi tenelli primi decurſus, omnes non abſq; ſummæ veſtigio gloriæ, cum ſigno laudum, cum indicio nominis comendati. Sic pulveri Scholaſtico dum eruditus miſcetur ſudor recens pullulat encomiorum materia, dùm improbus labor Palladio adjungitur otio, ſedulæ fiunt laudes pro Domo Cantiana. Excubat honor ad oſtium, ſtudet æmula gloria obſequio, & ſtudendo nititur, ut efferatur CANTIVS famâ, encomio, titulo. Vt is fiat maximus, nihil non magnum, nihil non ſublime aggreditur etiam IOANNE ad paria decora anhelante. Poſt quæ virtutis heroicæ documenta laureæ ſubſequi debuerant eruditam coronaturæ frontem, & ceſſuræ in triumphum Athletæ decertanti. Primam itaq; vix in Peripato capeſsijt, & alteram ultro venire laurum emeritus ſenſit vertex. Quare nunc primum felices ſe duxere ſylvæ cum fovere frondes in Doctarum & Sanctarum Frontium coronamentum cognovere. Nunc ſe ſcindi laureta magis ac magis optabant, cùm CANTIVS laureis emineret. Hinc laurearum ipſarum ferventibus votis ad culmen Theologici honoris provectus vertice Cælum tetigit Theologus. Iam igitur Olympum vel ideò CANTIVM dixerim, quod ſuo approximet Iovi, quod ſidera luſtret & axes Cælorum, ſuis ſuſcipiat tenendos humeris. Evectus ſupra humana Numen proſpicit, elatus ſupra terram Cælum ac ſidera contemplatur. Ab imò ad alta glorioſo vadens proceſſu, in tantum erigi contendit, quantum ad ſtelligeri Olympi ſufficit magnitudinem. Quod Sanctarum Virtutum molimen ut gloriosè aggreſſus fuerit, ſidera ſunt teſtes, quibus videre opera CANTII immortalia, & licuit, & placuit. Ille ad titulos demiſſus, ad opes inops, ad eruditionem & animum ſapientem non inflatus. E laborum ſuorum mercede ita liberalis, ut CHRISTVM

ſuæ

suæ liberalitatis novisset compotem. Verè Cæli inopes se tunc fateri debuerant, cùm se CANTIVS pro illis esse inopem vellet. Indè crebrò ad fores CANTII in pauperis specie CHRISTVS adstitit, simulans ideò egestatem, ut libens vellet videre CANTIVM liberalem. Tantum credite apud Cælos fuisse CANTII pretium; ut mirum sit, quod dixero, Cæli in IOANNIS gratia esse procurarunt. Hoc testati sunt tot favoribus in CANTIVM effusis, tot datis gratijs, tot ingestis bonis. Ad nutum siquidem IOANNIS & ignis Cracoviam pervagari destitit, & aqua lactis induit naturam, cum jusserit. Imò quævis elementa ex Cælorum decreto IOANNI sua tulerunt obsequia, cum poposcerit. Neq; poterant diu sævæ mortis constringi vinculo, quos solvere letho duxit CANTIVS. Nequibant cæci imitari Tyresiam, quibus suarum gratiarum lumen IOANNES non negavit. Planè quodcunq; malum miseram mortalium torquebat sortem, id tum abfuit, si quando adesse pietas Cantiana rogabatur. Altum nimirùm collem Divinissimum putate CANTIVM, eò tamen pacto ut acclinem se tum præbeat, cum præcibus fatigatur. Imò non opus est, tanta Orationum frequentia, flecti suspirio Olympus hic potest, ut qui stelligeros Cælorum axes attingit, se facilè in commoda demittat expetentium. Sed jam ad ipsum Olympi culmen curiosior pertransit eloquentia, ubi dùm excoctum fervido Sole verticem intuetur, jejuna illi CANTII membra æquo assimilat, jure comparat. Nimirùm carnem inter infestos animæ hostes reputans CANTIVS, eandem aggressus fortiter expugnandam. Quæ ut faciliùs suis viribus vinceretur à fuga carnis, carnis victorias auspicatur. Amovit inquam à Mensa carnem, qui nè operam austerioris vitæ perderet, oleum ad epulas introduxit. Athletam sic sacratiori ceromate unctum dicere fas CANTIVM in hostes paratum, in prælia resolutum:

Arriſerat tamen deteſtata caro ſemel CANTII palato, proindè invitata ad Menſam dum jucundiùs manu aliquantum verſaretur, exaſperatum in ſe mox agnovit CANTIVM, & extimuit jejunum. Firmum attamen quamvis abſtemium ducite CANTIVM. Illi ab Euchariſtico Pane vires ſunt, robur à Chriſti Sanguine pretioſo. Hac quotidie refectus alimoniâ, hoc etiam robore excelluit, quo potuit ſternere non ſpernenda. Hinc immani Orco ejuſq; potentiæ ita ſtetit horribilis, ut ejus impetum frequenter fregerit, contuderit, ſuperaverit. Proindè aſtuta Dæmonis protervia ſe alitem ſemel ſimulavit, vel ideò levis, quòd ingravem Sanctitate inciderit CANTIVM. Sed tamen & hæc levitas, graves luit pænas, imò à manibus CANTII væ cecinit deteſtandum. Hic ſagatiori nam mentalis pupillæ intuitu cernamus Olympum IOANNEM, ſupra quem ſimulatæ alites tolli nequeunt. Minatur pænas pennis CANTIVS, plumas ſpernit, imò omnem excludens levitatem, mirùm quantum horreat inconſtantiam. Stare tandem ad Orcum Dæmon debuit, ubi juſsit CANTIVS, & qui juſſis quandoq; ſolet fieri refragator, manibus præhenſus à meta non deviat infortunij. Ita ſuo caſu Cantianam ſubvexit gloriam, altum addidit, quo eminens CANTIVS Olympus eſſe, diciq; meretur. At non hic Tuæ IOANNES terminus magnitudinis, ubi Roma ſepticolli ſpargit jubar vertice, ibi Tuum Nomen in auge. *Ter petita Vrbs Vrbium* maxima, *ter viſa* Apoſtolorum limina mihi vel oſtium Cantianæ laudis aperiunt. Ad Petri Sedem non deſunt claves patefacturæ encomiorum penetralia, & ad annulum Piſcatoris ſignũ non deficit Cantianæ Sanctitatis. Aut ſenſu CANTII Purgatorium dixero Romam, non peccatorum CANTII, ſed & laudum. Torqueri debet ſuper CANTII laudes Roma, ut ferat condignas, & quod huc uſq; illi optatos à nobis non detu-

lerit

lerit honores, eo fit, quod non facile pares Sarmatico Olympo inveniat. Nondùm inquam CANTIVS vivæ vocis oraculo Sanctus, cùm Cælestes fastos impleat tarditatem ad Sanctorum Cathalogum sua excusat magnitudine. Aderit tamen communibus expetita votis dies, accurret tractum desiderijs tempus, quo talis ac tantus proclamabitur IOANNES, qualis quantusq; dici à nobis expetitur. Tantisper Hierosolymam nobis eundum est, Cantianis insistendendum vestigijs, tot terræ percurrendæ, tot æquora sulcanda. Formanda nobis eò eloquij gradatio, quo progreditur Cantiana pietas, quo tendit fervor, quo anhelant desideria. Sed eat innata celeritas otior Euris transcendat montes, perrumpat saxa, & per medias eat tuta flammas. Nobis admiratio solum relicta non data sequendi CANTIVM capacitas. Opprimimur tanta locorum distantia arcemur efferarum gentium consortio, retinemur periculorum eventu. In quæ dùm ultrò CANTIVS irruit, se planè reddit admirandum. Non ergò Regionum desertis, Cælorum inclementia prohibetur CANTIVS ab aditu Signorum Dominicæ Passionis. Vltrò per in vias gentes & immanes ad mitissimi Numinis cunabula, & inde ad busta ejusdem procurrit. Vbi ut verè sublimem Olympum egisset, nunc Oliveto, nunc Golgothæ montibus sociari procuravit. Elatus ibimet meditando etiam Cælos conscendere videbatur, dùm post menti inductos patientis DEI casus, nunc cum illo resurgeret, nunc ascendentem polos in æthera sequeretur. Sed Olympo nè niti sub sidera munus, cujus termini eousq; deducti, eundem astrorum notant socium. Is verè CANTIVS est quî Sancta eruditione, & erudita Sanctitate in summum eluctatus, etiam in ardua sua fecit eminere elogia. Procedere per alta necessum, ut exacta veniat IOANNI Divinissimo laudatio. Quoniam hic & à profunda humilitate sublimia possunt attolli trophæa,

& à ſtupendo patientiæ exercitio valet deſumi commendatio. Etſi in ſingulas curſim eundum virtutes caſtitatis illibatæ nitorem paupertatis pretium, temperantiæ vigorem certè nobis in CANTIO licebit contemplari. Cavendum proinde eſt, nè diſſonum aliquid Cantiano Nomini proferatur, cùm jam pridem pro fama proximi conſervanda militat, diffamare cave Cantianum. Cavendum præterea nè aliqua laudum fiat perturbatio, dùm conturbare cave CANTII adhortatur. Id autem non aliter præſtari meliùs poterit, quàm dùm Sacratioris Olympi magnitudo, non tumenti verborum faſtu, ſed demiſſo Clientis ſilentio adorabitur. Ago itaq; Harpocraticum munus, ubi Tullius eſſe deſino, lingvam jam ligatam volo, ubi ſoluta eloquentia præcipitem ſe ab Olympi culmine reformidat. Ad pedem me potiùs collis hujus malo videre, quàm ſtare tam ſublimi vertice, tutior in imo, quàm ſecurus in alto.

Sed jam altum impoſiturus ori meo ſilentium Patriarcha Diviniſsime, adhuc Te Clientalibus alloquor dictis, qui Olympus virtute, ac eruditione ſublimis es, etiam Te Olympicum venerabimur Numen, ſi Patriæ tutellam, muſis pacem, nobis tuleris commoda. Congruum eſt, ut Sarmatica ales ſupra Te, Olympum fauſtè felix nidificet, & indeferat fulmina; quibus terreat & feriat hoſtes, certè Tuos quia Sarmaticos. Te dignum ſurget opus, ſi Regiæ Scholæ majeſtas non tam ab aureis Sceptris, quàm à gratijs Tuis derivabitur. Votis communibus annuet certè CANTIVS, nam facilè hic flecti poteſt, qui in ſermonis mei decurſu non caucaſum, ſed gratioſum egit Olympum.



